

D. D.

DISSERTATIONEM GRADUALEM,  
DE

# SAPIENTIA DIVINA IN MECH A- NISMO MUNDI

*CONSPICUA,**Consensu Ampliss. FACULT. Philos. Aboënsis,*

PRÆSIDE

# MARTINO JOHANNE WALLENIO,

MATH. PROFESSORE REG. &amp; ORD.

*Publico Examini Submittit*

# JOHANNES FAVORIN, GABR. FIL.

TAVASTIA - FENNO,

IN AUD. ACAD. MAJORI, DIE VII. JUN. ANNI MDCCCLXIX,

L. H. Q. A. M. C.

ABOË, Typis Joh. CHRISTOPH. FRENCKELL.

Τὸ γῆς· τὸ Θεὸς Φανέρος εἰναι ἐν αὐτοῖς ὁ γὰρ Θεὸς αὐτοῖς ἐφανερωτε. Τὶ γὰρ ἀδύογεται αὐτῷ απὸ πίστεως κίνησις· τὸς ποιήματος νοήματα καθοργάται, ἢτε αἰδίῳ αὐτῷ οὐτακτις ήγε Θεότης.

**Q**uamvis Deus T. O. M. in omnibus, vel minimis, rebus creatis tam clara atque evidenter existentiae ac perfectionum suarum documenta nobis ante oculos posuerit, ut quilibet, præjudiciis non occupatus suaque ratione rite utens, tam de existentia DEi, quam de attributis Ejus excellentissimis convinci possit; tristissima tamen testatur experientia, omni fere ævo fuisse homines, qui hanc veritatem dubiam reddere ausi fuerunt. Horum princeps nostris temporibus jure meritoque habetur *De la Mettrie*, qui quidem in Tractatu suo, cuius titulus: *l' Homme Machine*, pag. 61. dicit: *Se non vocare in dubium existentiam Entis supremi, sed se credere eam ut maxime probabilem*; mox autem in subsequentibus addit: non solum incertum esse, annon ratio existentiae hominis sit in ipso, verum etjam pag. 63. totum hoc universum casu quodam exortum esse. Immo tandem pag. 68. 69. ejurata omni verecundiâ, munquam, si totus eslet Atheus, felicissimum alta proclamat voce: *Tunc enim cessaturam religionem; nulla gerenda fore a militibus terribilibus bella Theologica; naturam, sacro veneno infectam, purioram evasuram, & mortales futuros instinctus spontaneos naturales, qui ducant ad virtutem & felicitatem.* Hæc est, inquit, lex naturalis; banc qui sequitur, bonus est vir; sine hac qui religiosi speciem adficiat, hypocrita est & impostor, probitas autem nullam

3

nullam revelationem, nullam religionem, quæcumque illa sit; supponit. Vid. Cel. WALLERII Prænot. Theol. Part. III. §. §. 102. 130. Alii, cum *Spinoza*, nudis tantum concedunt verbis existere DEum, omnium rerum Conditorem & Gubernatorem, at tales de Eo sibi fingunt ideas, quæ simplissimæ Ejus esentiæ e diametro repugnant, eandemque penitus destruunt atque evertunt. Profecto homunciones illi, qui existentiam Divinam in dubium vocare audent, non satis secum habitare videntur. Qui enim justa debitaque scrutinii lance totum hoc universum consideraverit, tot tantaque existentiæ Divinæ documenta in illo inveniet, ut, nisi intellectus aciem penitus perdidet, aut in luce meridiana cæcutire voluerit, non possit non existentiam Summi Numinis, Ejusque Omnipotentiam atque Sapientiam agnoscere. Quo enim cunque se verterit, oculosque suos vel in expansum Coeli sustulerit, vel in terram demiserit, obveniunt illi quotidie innumerabilia atque stupenda existentiæ Divinæ, nec non summæ potentiae atque sapientiae specimina. In expanso Coeli quam plurima occurrunt ingentia corpora, qua certum atque determinatum habent motum, quorum quædam proprio, quædam mutuato splendent lumine; de quibus DAVID in Psalmi. XIX. 2. alta clamat voce: *Coeli enarrant Gloriam DEi, & opera manuum Ejus annunciat firmamentum.* In Globo Terraquo, quem incolimus, innumera quoque nobis obveniunt corpora, majora, minora, quorum quodlibet, etjam minimum, de existentia Summi Numinis, a quo singula suam ducunt originem, nos convincit. Hinc CLEMENS ALEXANDRINUS: *Tot sunt Divinæ potentiae documenta, quot in Mondo rerum species, immo quot sunt res vel magnæ vel exiguae &c.* Vid. Starckii Syn. Bib. Exeg. in N. T. ad locum Rom. 1: 20. Cum autem inprimis

de Sapientia Divina in Mechanismo Mundi conspicua, Summo favente Numine, agere nobis proposuerimus; certo certius speramus fore, ut ea, quæ in ardua hac materia proferre valemus, utrum rudia sint &, præ maxima dicendorum copia, oppido pauca, mitiori C. L. perstringas censura.

## §. I.

Ad institutum nostrum proprius accedentes, primum terminos in Rubro Dissertationis nostræ occurrentes paucis explicabimus. *Sapientia* igitur *Divina* est illud attributum DEi, quo non solum bonum a malo perfectissime dignoscit, verum etiam ad propositos fines optimos, quorum a' ter alteri subsidio sit, aptissima decernit media. Per Mundum, materialem scilicet, intelligimus non solam Tellurem nostram, sed cætera quoque corpora totalia & Macrocosmum universum, adeo ut *Mundus* nobis sit complexus omnium rerum corporearum. *Mechanismus* proprie quidem significat eam corporum strueturam, qua ad certas motus modificationes producendas redundunt idonea. *Mechanismus* autem *Mundi*, sensu paullo latiori, nobis nunc est corporum, ex quibus hic mundus componitur, constitutio, situs, ordo, nexus, vires, motus motuumque leges. Hæc nimirum omnia ac singula finibus atque usibus, a summo Conditore intentis, optime inserviunt, respondent, & ad eos obtinendos amicissime conspirant.

## §. II.

Ad vicissitudinem dierum ac noctium, & generaliter phænomena motus positusque siderum explicanda, diversas excogitatas esse hypotheses seu, ut dici solent, Systemata Mundi, notissimum est. Et quidem præcipue quæ-

quæsitum fuit: utrum Tellus nostra omnino quiescat, an motu diurno circa axem, an præterea etiam annuo circa Solem, moveatur? Neque, qui Telluri quietem tribuerunt, in eo consentiunt: utrum ipsa, an Sol, sit illud quasi centrum, circa quod Planetæ, sive omnes sive nonnulli, in orbitis suis ferantur? PTOLEMÆUS, qui seculo II:do post Christum natum floruit, statuebat Tellurem nostram quiescere in medio Mundi, atque circa eam omnia corpora coelestia in sphæris solidis moveri, & quidem sequenti ordine: primo Lunam, secundo Mercurium, tertio Venerem, quarto Solem, quinto Martem, sexto Jovem, septimo Saturnum, octavo denique stellas fixas; quamvis multo jam ante non solum Ægyptii veteres rectius de motu Mercurii ac Veneris senserint, videlicet hos Planetas circa Solem circulos describere; sed præterea Martem quoque, Jovem & Saturnum, pariter circa Solem, tanquam centrum, suas obire periodos, putaverit, ut fertur, APOLLONIUS PERGÆUS; quin imo ex Pythagoreis—multi Telluri motum vertiginis diurnum, alii, præfertim PHILONIUS, simul annuam circa Solem revolutionem adjudicaverint. His, & quotquot ex prisca vetustate colligere potuit, verosimilium de Systemate mundano opiniorum fragmentis probe examinatis, COPERNICUS, offensus magnis, quæ hypothesis Ptolemaicam premunt, difficultatibus, ipso reformatæ Religionis seculo, novum condidit Systema, vel potius sat antiquum, sed per longam seculorum seriem neglectum & oblivioni traditum, postliminio in scenam reduxit, restauravit, fortissimisque rationibus & multorum annorum observationibus coelestibus afferuit. Secundum hanc, quæ ab eo *Copernicana* denominatur, hypothesis, in centro Systematis Planetarii quiescit (nisi quod

probabiliter circa proprium axem torqueatur) Sol, quem  
in orbitis aliquantum excentricis circumneunt proximus  
ipsi Mercurius; secundo Venus; dein Terra, comitem  
habens Lunam, & singulis 24 horis rotata circa axem  
suum, qui ad planum Eclipticæ inclinatur & sibi ipsi ma-  
net quam proxime parallelus; postea Mars; porro Jupi-  
ter, denique Saturnus; stellæ autem Fixæ, vastissimis  
spatiis ab hoc nostro Systemate Planetario remotæ, per-  
inde ac Sol ipse manent immotæ. Hæc hypothesis,  
novis emendationibus & accessionibus deinceps ornata;  
ab omnibus, quantum constat, nostri ævi Astronomis  
ac Philosophis unanimi consensu adoptatur; & id meri-  
to quidem. Præterquam enim quod phænomenis, non  
iis solum, in quorum explicandorum gratiam fuit ex-  
e cogitata, sed inexpectatis quoque & postea demum  
observatis, optime consentiat & apprime satisfaciat; ma-  
xima etiam se commendat simplicitate; Sola concinnam  
quandam uniformitatem & harmoniam in mundo ser-  
vat, atque senioris Physicæ principiis, ordini, analogiæ  
ac legibus naturæ congruit. Ex admissa diurna Telluris  
circa axem ab occasu versus ortum gyratione intelli-  
gitur, quamobrem sidera contrario motu communi, ab  
ortu ad occasum, fere omnia in circulis parallelis cir-  
cumagi videantur; ut opus non sit universæ ingenti ma-  
chinæ mundanæ, innumeris corporibus vastis & maxi-  
me dissitis motionem, circa pusillum globum nostrum,  
(vel rectius imaginarium mundi axem), adfangere omni  
cogitatione celeriorem &, quod pejus est, tanto qui-  
dem perniciorem, quanto sunt ab exili hoc suo scilicet  
rectore remotiora, adeo ut non modo Sol 1000, Satur-  
nus 9500, sed sub æquatore sitæ proximæ Fixæ (quarum  
a nobis distantia minimum 27664 vel potius 400000  
distantias solis continet) 27664000 vel 400000000 mil-

laria Suecana unico oculi nistu seu temporis minuto  
 secundo percurrenter; neque contra omnem rationem  
 pueriliter statuere, has stellas solidæ cuidam sphæræ con-  
 cavae circumrotatae affixas esse. Quin immota manente  
 Tellure, necesse foret, Solem atque Planetas singulis  
 diebus singulas spiras describere, nunc septentrionem  
 versus excurrentes, alias inde austrum versus recurren-  
 tes. Nihil autem vel hæc phænomena vel statæ anni  
 tempestates, nedum Martis magnitudo apparet valde  
 inæqualis, Mercurii Venerisque tum perpetua ad Solem  
 vicinia, tum factæ nonnunquam per eum trajectiones,  
 negotii faciliunt Systemati Copernicano. Idem hoc, sal-  
 vis *Planetarum* primiorum semitis ordinatissimis, ad-  
 parentes eorum, sive *directi* sive *stationarii* sive *retro-  
 gradi* videantur, motus proprios admodum irregulares  
 & perplexos horumque determinationes ac modificatio-  
 nes singulas, per revolutionem Terræ circa Solem dilu-  
 cide explicat. Ex eodem hoc motu annuo atque evicta  
 aliunde propagatione luminis successiva, accurata redi-  
 ditur ratio *aberrationis Fixarum*. Et quamobrem, quæ-  
 so, Tellus talem deditigaretur motum, quali carent  
 Planetæ omnes, ipsis satis similes & partim longe majo-  
 res? Quid? quod ipsa in ordinem *Planetarum* trans-  
 latâ, constet eam æque ac hos sine exceptione omnes,  
 cum primarios tum secundarios, exacte hanc servare  
 legem: quod (cfr. §. III. IV.) *quadrata temporum perio-  
 dicorum sint proportionalia cubis distantiarum mediari-  
 um a communi, circa quod feruntur, centro; cum ex adver-  
 fo hæc ipsa lex, cæteroquin universalis, de Sole ac Lu-  
 na, si ambo Terram circumirent, minime valeret, sed  
 in unico hoc casu deficeret. Certe hinc præcipuum  
 quoddam accedit robur *motui Telluris annuo*; ut *diur-  
 num* admodum confirmant & retardata versus æquato-*

rem oscillatio pendulorum seu imminuta corporum terrestrium gravitas, & Figura Telluris ad polos paulo complanator, quæ phænomena ex rotatione Terræ circa axem, vires quasdam centrifugas, proprius ab æquatore & majores & gravitati magis contrarias, necessario genitura, optime explicantur; cui quidem argumento haud parum momenti addunt observationes, quibus competitum est, Jovi etiam ut figuram notabiliter compressam, sic rapidam quoque vertiginem competere. Taceo quam sit legibus naturæ dissolum & adversum, quod in hypothesi non dicam *Ptolemaica*, sed *Tychonica* atque *Semi-Tychonica* supponitur, Solem, imo vero stipatum choro Planetarum (excepta Lunâ), circa Tellurem circumagi, & hanc tamen parvulam loco non discedere. Facile autem diluuntur dubia, quæ sive ex Astronomia sive ex Physica adversus Systema Copernicanum fuere petita. Cæterum minus recte eidem objectata sunt alia atque alia Sacræ Scripturæ oracula, ex. gr. *Jos.* X: 12. 13. *Psal.* XIX: 6. 7. *Eccles.* I: 4. 5. 6; quasi vero (ne ad singula divertam) is esset scopus S:ræ S:ræ, ut subtiliores pandat veritates Astronomicas & Philosophicas? quasi compertum non esset, eam saepè, præfertim de rebus sublimioribus, communem notionem & apprehensionem transcendentibus, partim poëtice ac figurate loqui, partim κατ' ὄψιν, secundum apparentiam & veritatem opticam? quasi non esset etiam hoc in beneficiis DEi Sapientissimi & Optimi ponendum, quod in ejusmodi casibus se accommodaverit ad consuetum loquendi morem & captum hominum, qui innoxia persuasione, Solem moveri, Tellurem quiescere putant; ne incredibilia, paradoxa & ænigmata proponeret, neve speculationum inutilium, imo noxiarum & offendiculorum ansam præberet?

## §. III.

Exigente nunc instituti & ordinis ratione, corporum totalium, præsertim quæ in nostro Systemate Solari conspicienda se præbuere, situs & motus paulo propius definiemus. *Sol*, in centro hujus Systematis constitutus, absolute non quiescit, sed præterquam quod circa axem suum 25 d. 6 h. vel 27 d. 12 h. 20' volvatur, etjam, actione Planetarum ac Cometarum, de loco suo magis vel minus, pro vario eorum situ, tantillum dimovetur. Ab occasu ortum versus in orbitis non omnino circularibus, sed Ellipticis, & ad se mutuo inclinatis, circa Solem, in communi earum foco positum, suas obeunt periodos *Planetæ* primarii, fere ut sequitur: posita (neque enim minor ponenda est) Telluris a Sole distantia circiter 10000 diam. terrestri.

Tempora Periodica Distantiarum mediocr. a Sole Inclinat. Orbit.

Dies.	Hor. min.	in milliaribus Suec.	ad Ecliptic.
<i>Mercurii</i>	87. 23. 15½.	4645000	7°
<i>Veneris</i>	224. 16. 48.	8678000	3° 23' 20"
<i>Telluris</i>	365. 6. 9.	12000000	---
<i>Martis</i>	686. 23. 30.	18284000	1. 50. 54.
<i>Jovis</i>	4332. 12. ---	62413000	1. 19. 30.
<i>Saturni</i>	10759. 8. ---	114456000	2. 30. 36.

Tellurem nostram *Luna*, ad distantiam 36000 mill. Suec., 27 diebus, 7 horis, 43 minutis, circumvit. Similiter Jovem quatuor, Saturnum quinque *Satellites* comitantur, qui ut diversis intervallis distant ab ipsis suis Planetis primariis, ita circa eos diversis temporibus (cfr. §. II.) cursus suos, quam proxime circulares, conficiunt. Præterea in orbitis quoque Ellipticis sed valde excentricis, variæ admodum positionis & figuræ, versus alias atque alias plagas circa Solem decurrunt Astra longe plura, *Cometarum* nomine insignita, quorum numerus definiri

nondum potuit. Insuper in coelo conspicitur infinita fere multitudo Siderum, immensum a nobis distantium (cfr. §. præc.) & proprio lumine fulgentium, quæ, quatenus situm inter se non mutare videntur, Stellæ Fixæ vocantur; & harum quidem singulas, tanquam totidem Soles, propriis suis Planetarum atque Cometarum Systematibus esse stipatas, admodum est probabile.

## §. IV.

Proximas motuum coelestium causas physicas in *Gravitate universalis* & *Legibus Motus NEWTONianis* rectissime ponî, paucis nunc dicendum erit. Nimirum ut corpus in linea aliqua curva moveatur, adesse debet vis, quæ motum ejus, atioquin (*per legem motus I:ma*) rectilineum futurum, continue inflectat. Vis hæc ipsa, hic nisus, si ad idem aliquod punctum vel corpus semper dirigitur, *Vis Centripeta*, item *Gravitas*, & respectu corporis, ad quod tendit, *Attractio* vocari suevit. Speciatim mathematica certitudine (vid. NEWT. Princ. Phil. Nat. Math. L. I. prop. 4. Cor. 6, & propp. 2, 11, 15.) ex *legibus motus 1:ma* & *2:da* demonstratur: a) Corpora circulos æquabiliter describentia temporibus periodicis, quæ sunt in ratione sesquiplicata radiorum, continue niti ad centra viribus, quæ erunt reciproce ut quadrata radiorum; b) Corpus, quod in *Ellipsi* ita movetur, ut recta ab eo ad *focum* ducta *areas* circa eum describat *temporibus proportionales*, continue urgeri vi, quæ ad *focum* illum tendit & est inverse ut quadratum distantiarum ab eodem foco seu virium centro; γ) Si corpora plura in Ellipsisibus, communi utentibus foco, qui sit commune virium centrum, revolvantur: fore *quadrata temporum periodorum proportionalia cubis distantiarum mediariarum* a centro illo. Atqui, inventore primum KEPLERO, per observationes constat: Planetas, Principales circa

circa Solem, Secundarios circa Primarios suos 1:mo revolvi temporibus periodicis, quorum quadrata sunt ut cubi distantiarum mediocrum a communi suo corpore centrali (cfr. §. II.); 2:do in orbitis aut propemodum Circularibus aut Ellipticis, quarum focum Sol vel Primarii respective occupant, ita moveri, ut singulorum radii vectores (i. e. rectæ ab iis ad focum illum ductæ) verrant areas temporibus proportionales. Si igitur (quod quidem de Satellitibus Jovis & Saturni verum est quam proxime saltem) Planetæ círculos motu uniformi describerent: ex citato phænomeno 1:mo mox (per  $\alpha$ ) seque-retur, Primarios versus Solem, Secundarios versus suos Principales communes gravitare seu trahi *Vi inverse proportionali quadratis distantiarum* ab illis suis corporibus centralibus. Phænomenon autem 2:dum, cum  $\beta$  collatum, nos dubitare non sinit, quin quisque Planeta agi-tetur vi centripeta ejusmodi (qualiscunque de cætero sit harum virium cauſa & agendi modus); unde etjam (per  $\gamma$ ) redditur ratio phænomeni 1:mi. Adhæc calculo peculiari haud difficulter (NEWT. Princ. L. III. prop. 4.) ostenditur vim, qua Luna nostra a motu rectilineo sem-per retrahitur & in orbe suo retinetur, non differre a *gravitate* corporum prope Tellurem, minuta nimirum secundum rationem aucti quadrati distantia a centro Terræ; quemadmodum etjam (KRAFFT Phys. P. I. §. 155.) tardior pendulorum in altissimis montibus oscillatio tale gravitatis decrementum probat. Cæterum *Gravitatem* corporum (in nostro saltem Systemate Solari) sive totaliū, sive partialiū, & *mutuam esse*, omnium ac singu-lorum in omnia ac singula, &, eadem manente distan-tia, *massæ* corporis attrahentis *proportionalem*, arguunt tum lex naturæ 3:tia, tum æqualis, in paribus circum-stantiis, a *gravitate* pendens, *acceleratio* corporum eu-

juscunque generis, tum pulcherrimus omnium phænomenorum cum hocce principio & ratiociniis mathematicis ipsi superstructis consensus. Certe (NEWT. Princ. L. i. prop. 74. 75. 76.) si quævis materiae particula aliam quamlibet attrahat vi æquali, sed quæ sit inverse proportionalis quadrato distantiae: non poterit non Sphæra corpusculum extra ipsam positum vel & aliam Sphæram (nisi quatenus obſtiterit densitas irregularis) versus centrum suum attrahere pro ratione massæ ſuæ & reciproca quadrati distantiae centrorum; adeo ut, quod notatu dignum omſino eſt, attractiones totales corporum sphæricorum fiant attractionibus partium componen- tium plane conformes. Ex laudata hac *Gravitate* seu *Attractione universali*, conjuncta cum impresso ſemel in motu conveniente, ſeu primitiva quadam projectione vel impulſione, optime explanantur non modo hactenus a nobis indigitati Planetarum utriusque ordinis atque Cometarum motus, ſed & horum motuum regularium exiguae quædam turbationes, ſive ordinariae ſive extra-ordinariae; nominatim: Telluris, ab actione Lunæ; Saturni & Jovis, ex mutuis eorum attractionibus; ex actionibus utriusque, retardatus Anno 1759 Cometæ (annis 1531 1607 & 1682 viſi) reditus; præcipue autem omnes, quæ quidem multifariae & maxime ſensibiles ſunt, motus Lunæ inæqualitates, ab actione Solis. Adhæc lentiflīma regressio punctorum æquinoctialium & apparenſ Fixarum progressio, ex viribus Solis ac Lunæ ad conice moventi in axem Telluris sphæroidicæ, nec non nutationem ejusdem axeos bis quotannis efficiendam; imprimis autem varia ac multiplicia Fluxus & Refluxus maris phænomena, diurna, menstrua, annua, pariter ex viribus Solis ac Lunæ attractionibus dilucide explicantur. Etjam observata a BOUGUERO (cfr. MAUPERTUIS *Elém. de Geogr. Art.* 15.) tantilla

penduli versus vicinum montem *Chimboraco* excelsissimum deflexio (qua filum penduli e situ verticali dimotum fuit per angulum, ni fallor, 7" vel 8") vim montis attractricem sat manifeste indicare videtur.

## §. V.

Sapientiam Divinam ex Mechanismo Mundi, quamvis summatim tantum & ratione nexus corporum totallium exposito, elucere, demum strictim monstrandum est. Evidem haud dubito, quin, quemadmodum rerum plurimarum, etiam in mundo materiali, partim existentia partim constitutio, ita multo magis pleraque causae finales plane lateant terricos; attamen ex manifestis, quae occurunt sat multa, sapientiae Divinae indiciis, de ceteris incognitis judicari potest. In iis, si quae sunt, quae aut temere & fortuito aut fato fiunt, nihil vel ordinis, analogiae, harmoniae, vel diversitatis ac venustatis, sed vaga omnia, inordinata, confusa, informia sunt exspectanda. Atqui corpora eorumque magnitudines, structurae, situs, vires, motus, omnia, pondere, mensurâ, numero sunt facta, justa, ad usus suos, eosque saepenumero multiplices, apta ac proportionata; in maxima varietate mirabilis adest consensus; inter continuas mutationes regularis quædam cernitur uniformitas, statæ servantur vices, omnia certis continentur legibus generalibus; ipsa vicissitudine res creatæ conservantur, persistunt, renovantur; quam est natura in effectibus suis & phænomenis varia ac multiplex: tam ex adverso simplex valde & sibi similis, si ipsa spectentur principia constitutiva & prima agentia, adeo ut paucis iisque simplicissimis mediis multiplices obtineantur fines atque insignis effectuum & varietas & concinnitas.

Hæc ita se habere qui perspexerit, nonne arte, consilio, providentiâ sic extitisse, nonne summæ Sapientiæ tribuenda esse simul intelliget? Secundum hæc fere similiaque rationum momenta, colligi & expendi possent, multa quidem ex exhibito supra (§. §. II. III. IV.) Macrocosmi conspectu, innumera autem ex spatiofissimo naturæ theatro, petenda Sapientiæ Divinæ specimina. Sed angustiâ temporis, loci ac facultatum nonnulla tantum citare jubeor. „ Demonstravit (a) DAN. BERNOULLI „juxta regulas fortis futurum, ut si sex tantum Planetæ „temere circa Solem projiciantur, oppignorari possint „1419856 contra unum, eos (§. III.) in eandem partem „coeli tam angustos intra limites motum non iri., „ Maxime pulchrum, ordinatum, harmonicum apteque conexum, vel tantilla notiori sui parte, est Systema Mundanum. Unica lege gravitatis universalis (§. IV.) regitur & conservatur; secus ac poscerent fictitia illa Ptolemaicum, Tychonicum, Semi-Tychonicum (b). Concinna ubique viget analogia (§. §. citt.). A paucissimis principiis generalibus (§. IV.) pendent, præter alia phænomena plurima, motus Astrorum. Hæc, non obstante continua & mutua eorum attractione, quidquam noxæ alterum alteri attulisse haud constat; adeo ad amissim definitas naæta sunt massæ viresque, distantias, & projectionum tum directiones tum impetus. Sol 16 saltem Planetas (ut de magno Comœtarum numero nil dicam) regit, illuminat, calefacit, fovet. Planetæ quo sunt Soli propiores, eo etiam densiores (c); procul du-


(a) Teste, cuius hæc sunt verba, Auctore Libelli *Astron. Phys. Breviar.* p. 48. edit. Upsal. 1751.

(b) Vid. *GREGOR. Elem. Astr. L. I. Sect. XI.*

(c) *NEWT. Princ. L. III prop. 8. Corr. 3. 4. & cit. Brev. p. 76.*

bio, ut quisque convenienti caloris gradu fruatur. Obliquitati Eclipticæ debentur dierum noctiumque inæqualitas, vicissitudo fixarum anni tempestatum, caloris lucisque & tenebrarum æquior ac temperatior in orbe nostro distributio, & plura, quæ ex his fluunt, comoda. Luna lumen nobis impertitur; viciniâ sua, cursu celeri, & ita aptato ut Eclipses partim patiatur partim efficiat, geographis & navigantibus prodest; maria & sine dubio atmosphærā attractione sua (§. IV.) agitando, noxiā ab iis putredinem arcet. Telluris rotatio, qua dies noctesque efficiuntur, multo est lentior, quam ut partes ejus dissipare queat. Gravitate corporum partialium ipsa redduntur stabilia, conservantur & rotunditatem nanciscuntur totalia, dispensatio aquarum aliique usus promoventur. Ceterum Geocosmus (at quantillam loquor Univerſi particulam!) atmosphera ejus, meteora, montes, colles, valles, fontes, fluvii, lacus, maria, lapides; præsertim vegetabilium atque animalium millenæ species, ipse homo microcosmus, admiranda corporum organicorum compages, structura & mechanismus &c, quam innumerabilia, luculentissima, inenarrabilia ac stupenda offerunt Sapientiae æque ac potentiae & bonitatis infinitæ documenta! *Dignus itaque es, Domine, qui accipias gloriam & honorem & virtutem, quia Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam sunt, & creatæ sunt.* Apoc. IV: 11. XIV: 7. Efaj. XL: 26. 28. Ier. X: 12. XXXI: 35. 36. 37. XXXIII: 25. Job. XXXVIII: 31. 32. 33. Psal. CXLVIII: 3. 4. 5. 6 CXLVII: 4. 5. CIV: 24. Job. XII: 7. 8. 9. 13. 1. Tim. 1: 17.

S. D. G.



Till HERR AUCTOREN.

**D**en artigt vil en sak utreda,  
Om den ock mindre vara tör,  
Han måste något sig bereda,  
Han infigt sig förskaffa bör  
I saken, som han handlar om,  
I vidrigt fall han träffar bom.

**M**en djupa saker at traftera,  
Erfordrar quickt genie och nit,  
I läsning, skrifning, annat mera  
Som röjer outröttlig flit.  
Den detta äger kallas lård  
Och är tilbörlig heder vård.

**A**t I, min BROR, en sådan åren,  
Ert vackra arbet' visar klart,  
I med Ert efterdömme lären,  
Hur' quickhet, flit och lärdom snart  
En dygdig ungdom löna plår,  
Då LAGER-KRANTSEN Eder klår.

**N**u lycka til at heder vinna,  
Och lönen för Ert arbet' få!  
Jag önskar I ej mätten finna  
En vidrig verld at genomgå,  
Men uti lugn å lyckans baf.  
Städs segla nögd intil Er graf.